Vir
Summè Reverende, Magnifice atq; Praenobilissime,
Domine atq; Patrone Honoratissime,
Fautor aestumatissime.

Ex quo Te Lipsiae, de Electione Rom. Pont. disputantem, magnâ cum animi delectatione audivi, atq; jam tum ex ungue Leonem cognovi, ea mihi felicitas non affulsit amplius, ut Tuo sive conspectu, sive alloquio, sive etiam commercio frui licuerit. Saepius equidem mei animum, atq; geminâ vice per literas Te verecundè salutavi, idq; inprimis significavi, quomodo in vindicandâ dissertationum Tuarum selectarum primâ, ejusdemq; appendice, reprimendisq; Anti-λέγοντος cujusdam conatibus, aculeato quodam scripto inibi dicta impugnantis, operam qualemcunq; meam locaverim; sed responsionem omninò nullam obtinui. Id quod etsi alius malè omninò habere potuisset, ego tamen benignius interpretatus sum, sive quod literae meae non satis rectè redditae fuerint, sive quod ardua negotia, quae officiorum moles subinde ostendit, non permiserint, ut de me quoq; resalutando cogitares. Nam licet communiter ita evenire soleat, ut sicut ex virtute honor; ita ex honore quidam mentis tumor obrepere incipiat; Tu tamen, illud Symmachi probe tenens: Illum verè incrementis suis majorem esse, quem sublimitas honoris inclinat, post tot partos honores, splendidaq; officia, pari semper consistis gradu,

nec quae comitatur honores
Ausa tuam leviter tentare superbia mentem.
Frons inmutata manet.

Nec opus exhibita aliunde humanitatis Tuae documenta huc accersere, solus Generalis noster Superintendens, Dn. Lic. Stockflet, Collega meus conjunctissimus, dum frequens est in sermonibus nostris, toties de Tuâ comitate ita me fecit certiorem, ut in altam hanc spem adducar, non ingratum fore, quod ad scribendi officium, me nunc postliminiò recipio.

Non aliud verò hae sibi volunt literae, nisi quod favorem Tuum denuo ambiunt, atque me quoque deinceps in numero illorum, qui â fuco omni abhorre alienam, veram sinceramque de Te existimationem habent, colloces, ὁλόψυχος exorant. Atque admitte modò, ut publicum aliquod affectus in Te mei testimonium extet atque tessera. Scilicet quemadmodum Tu ante triennium, tuam de veteris ecclesiae Pietistis commentationem, Theologo illius aetatis Principi, Dn. Joh. Benedicto Carpzovio, τῷ ἐν ἁγίοις, inscripsisti; ita animus mihi est, commentariolum, cujus Rubrum: Haeretici ψευ[illegible]μενοι καὶ αἰχμαλωτεύοντες τὰ γυναικάρια occasione Verborum Apostoli II Tim. 3. 6 et Hieronymi, ep. 66 ad Ctesiphontem, in quo artes Pietistarum, tum aliàs in vulgus noti, tum apud nos quoque suscepti, deleguntur, Tuo Illustri consecrare nomini, utpote qui nunc post Carpzovium Maxagiter inter Theologos nostri ducis, aliosque omnes, equis, ut dicitur, albis, praecurrere videris. Nolo verò prius in publicum prodire, quam desideriis nostris annuas, conatusque nostros, Tuo probes suffragio, id quod ut praestes, Patrone desideratissime! summo abs Te opere contendo. Equidem cum, ut iterum Symmachus meus; Facilius sit ardentes ore favillas comprimere, quam luculenti operis servare secretum; maluissem hydram istam tetigissem; sed ea est rerum apud nos infelicitas, ut canes mutos, quam super speculam stantes habere malint. Ipsum Synedrium, quod sub sanctâ silentii fide in sinum tuum effudi, eum induit torporem, ut eos, qui zelum pro gloriâ domus Dei ostendunt, fastidio habeat, sanctisque illorum conatibus obicem ponat, ut totus in eo sim, sedem meam in Collegio hoc, satis alioquin splendido, relinquere vacuam. Ô quod si Numen ita propitium haberem, ut propius Tibi adhaerere, Te promotore talem occupare Spartam liceret, ubi majore cum παῤῥησίᾳ officii partes explere concederetur. Certè minore etiam infulâ contentus, fidelem me Tibi in quovis stadio συνάεθλον exhibiturus essem.

Tu verò Magnanime Heros! victricia porro circumfer arma, nec desponde animum, quod ignobile illud, ut vocavit Aeschines, sordium par, διαβολὴ καὶ συκοφαντία Te lacessere et rabidè prorsus insectari non desinant. Nosti hoc Diaboli opus, ut servos Domini calumniis mendacibus laceret, ut qui conscientiae suae luce inclarescunt, alienis rumoribus sordidentur. Erit autem, ut Praul illa, apud Vincentium Bellovacensem, dixit, vituperia ista Tibi sint aurum et pretiosi lapides, ad coronam vitae fabricandam. Ergo Tu contra audentior ito, cum Alberto nostro Brandenburgico, illud velut antiquissimum habens;

Tanto major honor, quanto est numerosior hostis!

Ito, inquam, de Victoria in Victoriam, vel, si mavis, de robore in robur, de turma ad turmam, ut conspiciatur Deus Deorum in Sion! Amen! Dabam calamo quidem festinante, ast obfirmato animo 7 Cal. Octobr. 1699.

Tui Illustr. Nom.

Cultor et admirator
D. Joh. Georgius Pertschius mp.

Pagellas literis hisce annexas, ut serena fronte suscipias, enixe rogo. Praeliminarem istam dissertationem secutae sunt novem aliae, Ceterisque servatur tractatus, quem inscripsi:

Decas dissertationum, in quibus παλαιολογήματα Anonymi Auctoris, libelli cujusdam, qui inscribitur: Verhandlung von der Höllen, hodie expenduntur, insertis subinde digressionibus ad quaedam similis furfuris scripta, nominatim Janae Leade, Anglae, Offenbahrung der Botschafft des ewigen Evangelii, et alterius cujusdam aeterni Evangelii, quod ipso hoc anno, in Germania divulgatum fuit.

Sed nondum inventus est, qui sumtus typis imprimendos erogaret. Tu Vir Magnif. si et hic Te promotorem exhibere potes, potes autem omnino, voti, quaeso, nostri locum relinque.

200v

major

1

VIRO

Summe Reverendo, Magnifico atq Praenobilissimo,
DN. IOH. FRIDERICO MAYERO, SS. Theol.
Doctori consummatissimo, S. Regiae Majestatis
Sveciae per Germaniam Svecicam in Sacris Con-
siliario Primario, Reverendiss. Abbatissae Qued-
linburgensi, itidem à Consiliis Ecclesiasticis, in Aca-
demia Kiloniensi, Primario SS. Theol. Prof. nec
non Hamburgi ad S. Jacobi Pastori, Gymnasii
Inspectori et Prof. Publ. undiquaq celeberrimo,
Seculi nostri Chrysostomo. Dno atq Patrono suo
Honoratissimo atq Fautori exoptatissimo.

Franco. Hamburgum